DE TEMPORUM NOTIS QUIBUS EUSEBIUS UTITUR IN CHRONICIS CANONIBUS

DISPUTAVIT

ALFREDUS A GUTSCHMID.

KILIAE.
IN LIBRARIA SCHWERSIANA.
MDCCCLXVIII.

DE TEMPORUM NOTIS QUIBUS EUSEBIUS UTITUR IN CHRONICIS CANONIBUS

DISPUTAVIT

ALFREDUS A GUTSCHMID.

KILIAE.
IN LIBRARIA SCHWERSIANA.
MDCCCLXVIII.

DE TEMPORUM NOTIS QUIBUS EUSEBIUS UTITUR IN CHRONICIS CANONIBUS,

DISPUTAVIT

ALFREDUS A GUTSCHMID.

De temporum notis quibus Eusebius utitur in Chronicis Canonibus, cum iis quae apud nos usu receptae sunt, probe comparandis quaestio cum sit intricata, ea est quam tandem aliquando ad liquidum perduci omnino necessarium sit: cuius expediendae, cum iam scribendi nobis praebita sit occasio, periculum faciemus.

Anni ad quorum normam Eusebius omne tempus exegit quosque ipse primus excogitavit, a nato Abrahamo numerantur. Quibus annis ut recte utamur, ad tria attendendum est, primum ad *Olympiadas* quae cum annis Abrahami compositae inveniuntur, deinde ad *fila* quae dicimus *regnorum* praecipuorum, denique ad *spatium* quod vocatur *historicum*.*) Iam Olympiadum quae condicio sit, quaestione demum habita cognosci poterit, et quia Hieronymus eas aliter cum annis Abrahami componit, aliter translator Armenius, et quia Olympiadum utriusque tempestate memoria vetustate obliterata a viris doctis ita fere instaurabatur, ut proprium earum

*) Haec quid sibi velint, definire longum est; ne tamen qui ab his studiis remotiores sunt, ad ipsum quasi limen offendant, placuit rem diagrammate illustrare ab initio Eusebianorum Canonum petito:

Anni Abraham.	Assyriorum.	Hebraeorum.	Sicyonis.	Aegypti.	Ninus condidit civitatem Ninum in regione Assyriorum.
I.	Nini 43.	Abraham 1.	Europis 22.	Thebaeorum 1.	
	Fila regnorum.				Spatium historicum.

calculum vario modo temperarent et huc illuc declinando Christianorum temporum usui accommodarent. A spatio vero historico quominus proficiscamur, duo sunt quae prohibent: unum, quod facilius in eo quam usquam alibi labi poterat Eusebius, alterum, quod hic potissimum codices manuscripti inter se maxime dissentiunt. Quae cum ita sint, pro fundamentis erunt disputationi fila regnorum, eaque non omnium, sed eorum ad quae non solum Christianos chronographos universos, sed etiam antea Alexandrinos et qui inter Romanos eos secuti sunt, omnium omnino populorum res gestas alligasse certis indiciis significatur, regum dico Persicorum, Alexandri et Ptolemaeorum, imperatorum Romanorum. Ordinum regum antiquiorum rationem haberi non opus est propter incertiorem omnium ante dominatum Persarum temporum condicionem: imo quidquid hac nostra disceptatione effecerimus, ad antiquiorum quoque temporum descriptionem Eusebianam reapse pertinebit. Translator Armenius et Hieronymus in annis regum cum annis Abrahami comparandis inter se congruunt a Cyro usque ad Pertinacem, id est per omne illud tempus per quod argumenta rerum gestarum ab Eusebio in spatium historicum congesta cum uberrime suppetunt, tum ad augendam historiae antiquae cognitionem inprimis faciunt.

Anni regum quotquot unquam in usu fuerunt, non possunt non esse aut anni regum veri quibus is dies quo rex quis regnare primum coepit, dies primus, is dies qui illum annua vice praecedit, ultimus est, aut anni regum civiles quibus primus dies anni civilis eius quo vertente rex quis regno potitus est, initium, ultimus eiusdem anni civilis dies finis est: et ubicunque constans a stato initio per saecla annos numerandi mos ignotus est, posterior annos regum computandi modus usurpatur; quem quod Aegyptiis proprium esse vulgo putant, superstitio est quae, quod latissime diffusa est, superstitio esse non desiit. Chronographus, nisi forte regum series ordinis posterioris in promptu fuit, cum anni regum veri redundantibus mensibus ac diebus eum cui integri anni in album referendi sint, iuvare non possint, non potest facere quin tempora regnorum ex certa quadam regula ita in quadrum redigat, ut menses ac dies partim supprimantur, partim solido anno aequentur. In eo igitur caput disputationis nostrae positum est, ut a quonam anni civilis puncto singuli regum anni initium capiant, indagemus, et tum nos acu rem tetigisse existimandum erit, ubi anni tempus eiusmodi invenerimus a quo proficiscentibus aberratio a genuina temporum ratione quae in isto quasi rotundandi negotio omnino evitari non potest, quam minima sit.

In iis quae iam sequuntur, tabulis insunt primo loco nomen regis et anni regni ex Canone Eusebiano, secundo annus Abrahami quocum primus regis annus congruit, tertio instauratio nostra Canonis ad annos ante Christum vel post Christum accommodata, quarto propria et accurata temporis quo rex regnum adeptus est, notio ex qua tota illa instauratio pendet.

Tempora regum Persarum.

		Abr.	qui incipit a solstitio	Verum regni initium:
Cyrus	ann. XXX	1457.	560 a. C.	vere 559.
Cambyses	ann. VIII	1487.	530.	m. Februario 529.
Duo fratres Magi	— mens. VII, = ann. I.	1495.	522.	circiter d. 8. Iulii 522.
Darius I.	ann. XXXVI.	1496.	521.	circiter d. 9. Februarii 521.
Xerxes I. f. Darii	ann. XXI.	1532.	485.*	hieme 485.
(Artabanus	— mens. VII.	1552.	465.	? aestate 465.)
Artaxerxes I. Longimanus	ann. XL.	1553.	464.	hieme 464.
(Xerxes II.	— mens. II.	1592.	425.	m. Martio 424.)
(Sogdianus	— mens. VII.	1592.	425.	m. Maio 424.)
Darius II. Nothus	ann. XVIIII.	1593.	424.	m. Decembri 424.
Artaxerxes II.	ann. XL.	1612.	405.	paullo ante d. 22. Aprilis 404.
Artaxerxes III. qui et Ochus	ann. XXVI.	1652.	365.*	circiter ver 358.
Arses f. Ochi	ann. III. (ann. IIII. Lat.)	1678.	339.*	circiter exeuntem a. 338.
Darius III.	ann. VI.	1681. (1682 Lat.)	336.	m. Maio 335.
Alexander f. Philippi	(ann. XII.	1681.	336.	m. Octobri 336.)
rex fit Asiae anno regni sui VII.		1687.	330.	m. Iulio 330.
Initium Philippi sive Aridaei		1693.	324.	d. 8. Iunii 323.

Hanc seriem, si Olympiadum annis dispositam esse ponimus, cum genuina temporum ratione optime consentire deprehendimus, modo eius qui primitus rem adornavit, eam fuisse mentem sumas, ut brevia illa et illegitima Magorum et Artabani regna sequentibus, non ut apud Eusebium est, praecedentibus regnis includerentur. In Dario I. et in Arse solis quod temporis nota in praescriptum non quadrat, eo satis excusatur, quod cum annos quibus indigenae in conficiendis regum indicibus usi sunt, a solstitio non incepisse certum sit, viros doctos qui Persarum annos cum Olympiadum annis commutaverunt, auxiliis destitutos ad amussim rem exigere non potuisse veri simillimum est. Hieronymi dissensum curare non opus est quippe qui laterculum Canonis, quae est illius consuetudo, ex ea parte Chronici Eusebiani quae series regum et est et appellatur, correxerit. Maximam discrepantiam de initio regni Ochi offendimus. Eusebius scilicet vel potius is quem auctorem secutus est, duo probe tenebat, et Aegyptios ab Ocho anno regni XX. denuo subiugatos esse, postquam LXV annos domesticis regibus paruissent (e Manethone apud Sync. p. 145, 6), et eosdem olim paullo ante pugnam ad Seston aestate a. 411 Persarum iugum excussisse (e Diod. XIII, 46; cf. 38). Iam vero qui Manethonem vernaculorum regum dominatum a morte demum Darii II. numerasse non intellexerat, non poterat non in erratum incidere,

habens sane id aliquid excusationis, ut LXV annos libertatis Aegyptiorum ab a. 411 computaret atque ita XX. Ochi annum componeret cum anno qui ab aestate a. 346 incipit. Ceterum id irrita hac coniectura satis significatur Alexandrinam esse huius regum indicis originem.

Tempora Lagidarum.

	Abr.	qui incipit a solstitio	Verum regni initium:
Ptolemaeus I. . . . . ann. XL.	1693.	324 a. C.	Regnum eius hic computatum est a die vitae Alexandri supremo, 8. Iunii 323.
Ptolemaeus II. Philadelphus ann. XXXVIII.	1733.	284.	regni initium inter d. 2 Nov. 285 — 1. Nov. 284.
Ptolemaeus III. Euergetes ann. XXVI. . . .	1771.	246.	die 23. Octobris 246.
annus regni XXVI. . . .	1796. =	solst. 221. / solst. 220.	mortuus est inter m. Augustum et medium m. Octobrem 221.

	Abr.	qui incipit ab autumnali aequinoctio.	Verum regni initium:
Ptolemaeus IV. Philopator ann. XVII. . . .	1797.	222 a. C.	inter m. Augustum et medium m. Octobrem 221.
Ptolemaeus V. Epiphanes ann. XXIIII. . .	1814.	205.	d. 28. Martii 204.
Ptolemaeus VI. Philometor ann. XXXV . .	1838.	181.	inter d. 7. Oct. 181 — 6. Oct. 180.
Ptolemaeus VII. Euergetes ann. XXVIIII.	1873.	146.	inter d. 29. Sept. 146 — 27. Sept. 145.
Ptolemaeus VIII. Physcon a. XVII m. VI, qui et Soter . . . . . = ann. XVII.	1902.	117.	inter d. 21. Sept. 117 — 20. Sept. 116.
Ptolemaeus VIIII. . . . . ann. X. . . . . qui et Alexander	1919.	100.*	inter d. 19. Sept. 107 — 18. Sept. 106.
Ptolemaeus VIII. . . . . ann. VIII. . . . . qui a matre fuerat eiectus	1929.	90.	inter d. 14. Sept. 89 — 13. Sept. 88.
Ptolemaeus X. Dionysus ann. XXX.	1937.	82.	Cleopatra, inter d. 11. Mart. 81 — 10. Mart. 80. Ptolemaeus X., inter d. 12. Sept. 81 — 11. Sept. 80.
Cleopatra . . . . annus XXII. . . .	1967.	52.	m. Maio 51.
annus regni XXII.	1988. =	aut. aeq. 31. / aut. aeq. 30.	mortua est m. Septembri 30.

Caesaris Augusti imperii annus XVI. . . . . 1989. (ab aut. aeq. 30):

„Quidam ab hoc loco primum annum Augusti monarchiae supputant, nonnulli vero Alexandriae a quarto decimo.“

Series Ptolemaeorum apud Eusebium duobus annis redundat quos Ptolemaeum III. iusto diutius regnantem facit: sane si ad Olympiadum annos eius tempora digeruntur, verum est eum regni anno XXVI. vertente mortuum esse; sed si ab autumnali aequinoctio regum annos numerandi institutum aequaliter observatum esset, non poterant ei tribui nisi anni XXIIII quot etiam Eusebius in indice qui est in Chron I p. 251, re vera ei adscripsit. Vetus cum sit consuetudo chronographorum ad initium regni eius regis sub quo scribunt, temporum descriptionem deducendi, extremus et affectus ille quidem annus ultimi regis qui idem est ac novi regis annus primus et hoc fere, ut ita dicam, absorbetur, ea qua diximus, condicione et ipse in album referri et, quatenus ad prius regnum pertinet, describi solet: iam cum nescio quis ex scriptoribus quos Eusebius aut ipse aut aliorum ope usus compilavit, in morte Ptolemaei III., ut opinor, finem scribendi fecisset, Eusebius sive is quem secutus est, ex novo fonte, aliter prorsus calculos subducente, relicuum laterculi tenorem agglutinavit potius quam continuavit, neque sic omnia quae sequuntur, regna biennio serius poni satis perspexit. Initio demum annorum qui vocantur Augustorum, sublato errore constat ratio: Augusti enim solius in toto orbe Romano dominatio anno 1989 deputatur qui secundum prius duorum quae Eusebius excussit, exemplarium a solstitio a. 28, secundum posterius ab autumnali aequinoctio a. 30 a. C. numeratur; isque annus quod cum XVI. eorum Augusti annorum qui a consulatu eius et die 19. Augusti a. 43 a. C. consurgunt, componitur, cum prioris exemplaris calculis concordat, simul vero quod discrepantis Alexandrinorum opinionis ab anno XIIII. numerantium mentio inicitur, in posterioris exemplaris rationes quadrat. Nempe fugit Eusebium, quod singulari imperio Augusti in anno eius XVI. collocato nihil commune est cum occupata Aegypto: spectat enim ad Augusti nomen per senatum Octaviano delatum die qui est 16. Ianuarii rationis pontificiae sive 17. Ianuarii rationis Augustae a. 27 a. C. Ceteroqui demonstrari potest Eusebium hoc quo omne posteriorum Ptolemaeorum tempus afficitur, erratum tralaticium a Iulio Africano accepisse: conferatur enim Sync. p. 584, 1. Id ut mittamus, indicis fides, modo eum in duo ex quibus conflatus est, elementa dissolveris, ubivis probatur, praeterquam quod in annis XXXV quos in exemplo ab Eusebio compilato una omnes promiscue Ptolemaeo VIII. adscriptos fuisse veri simile est,*) inter hunc et Alexandrum fratrem dispertiendis foede peccatum est: septendecim anni cum dimidiato totius quo Ptolemaeus VIII. subtracto intermedio fratris regno regnavit, spatii, non prioris eius regni summam declarant, et hoc ipsum fuit decem annorum, non regnum Alexandri.

*) Conf. Porphyrius in Eus. Chron. I p. 244.

Tempora imperatorum Romanorum.

	numerus Canonis:	accuratior numerus apud Eusebius:	accuratior numerus apud Hieronymum:	Abr.	qui incipit a. d. 1. Hyperberetaei.	Imperii initium ex accuratiore computatione:
C. Iulius Caesar	ann.V		ann.IIII mens.VI.	1969.	49 a.C.	Initium annorum Antiochenorum d.1. Hyperberetaei 49 quo fere tempore Caesar dictator dictus est. — pugna Pharsalica d.9. Aug. rationis pontificiae s.6. Iunii rationis Iulianae 48. — mortuus est d. 15. Martii 44.
Caesar Augustus	ann.LVI	ann.LVI (sic) mens.VI	ann.LVI mens.VI	1974.	44.	adoptatus d. 19. aut 20. Mart. 44. — consul creatus d. 19. Aug. 43 a. C
Tiberius	ann.XXIII			2030.	13 p.C.	imperator factus d. 1. Oct. 13 (re vera d. 19. Aug. 14) p. C.
Gaius	ann.IIII	ann.III mens.IIII.(?)	ann.III mens.X.	2053.	36.	d. 1. Oct. 36 (re vera cum Hieronymo d. 16. Mart. 37), † d. 14. Ian. 40 (re vera d. 24. Ian. 41.)

	numerus Canonis:	accuratior numerus apud Eusebium:	accuratior numerus apud Hieronymum:	Abr.	qui incipit a. d. 1. Hyperberetaei	Imperii initium ex accuratiore computatione:
Claudius	ann.XIIII	ann.XIIII (sic) mens.VIII	ann.XIII mens.VIII d.XXVIII (sic)	2057.	40 p.C.	d. 15. Ian. 40 (re vera d. 25 Ian. 41.)
Nero	ann.XIIII	ann.XIII mens.VII	ann.XIII mens.VII d.XXVIII	2071	54.	d. 13. Oct. 54, † d. 9. Iun. 68.
Vespasianus	ann.X	ann.VIIII mens.XI d.XXII	ann.VIIII mens.XI d.XXII	2085	68.	d. 1. Iul. 69.
Titus	ann.II	ann.II mens.II	ann.II mens.II	2095.	78.	d. 23. Iun. 79.
Domitianus	ann.XVI		ann.XV *mens.* V (corrigatur dies V.)	2097.	80.	d. 13. Sept. 81.
Nerva	ann.I	ann.I mens.III (sic)	ann.I mens.IIII	2113.	96.	d. 14. Oct. (re vera cum Hieronymo d. 18. Sept.) 96
Traianus	ann.XVIIII	ann.XVIIII mens.VI	ann.XVIIII mens.VI	2114.	97.	d. 25. Ian. 98, † d. 9. Aug. 117.
Hadrianus	ann.XXI			2133.	116.	d. 11. Aug. 117.
T. Antoninus cogn. Pius cum liberis suis Aurelio et Lucio	ann.XXIII	ann.XXII *mens* VI (i. e. et dimidiatum fere annum.)	ann.XXII *mens.* III. (corrigatur mens. VI.)	2154	137.	d. 10. Iul. 138.
M. Aurelius qui et Verus et L. Aurelius Commodus	ann.XVIIII		ann.XVIIII mens.I	2177.	160.	d. 7. Mart. 161.
Commodus	ann.XIII			2196	179.	d. 17. Mart. 180, † d. 31. Dec. 192.
Helvius Pertinax	ann.I		— mens.VI (qui in computationem non veniunt.)	2209	(192.)	Pertinax d. 1. Ian. 193, † d. 25. Mart. 193. Iulianus d. 28. Mart. 193, † d. 1. Iun. 193.

Eusebius duos imperatorum indices videtur habuisse, alterum integris annis digestum quem pro fundamento posuit, alterum subtilius tempora enotantem cuius ope priorem saepe, quamquam non semper recte, supplevit. Hieronymus indice ab hoc diverso qui tempora imperatorum secundum annos menses dies exarata dedit, usus est, ut numeros Eusebii curiosius circumscriberet, nec raro eundem correxit. Is qui pro fundamento est, laterculus Eusebianus, integros ille annos sistens, cum vera temporum ratione exacte congruit, dummodo sumas in eo annos ab autumnali aequinoctio numerari: id quod Antiochenam indicis originem demonstrat. Unum excipiendum est, quod Nervae imperium a primo die incipientis anni CXLV. Antiochenorum seu die 1. Octobris 96 p. C. computatur, licet Nerva iam die 18. Septembris 96 imperator factus sit; sed cum gemino peccato Nervae imperium anni I mensium III perperam fuisse dicatur, veri simile est erratum e Graeco fonte manasse et diem XIIII. Kalend. Octobres confusum esse cum die 14. Octobris.*) Ad annos Antiochenos numeros exactos esse alia ab Eusebio errata recta via comprobant. In serie imperatorum cui Eusebius Canonem superstruxit, cum Augusti imperium ab anno qui est a d. 1. Hyperberetaei 44 ad d. 30. Gorpiaei 43 a. C., numeraretur, quod eo vertente die 19. Augusti 43 consulatum adeptus et per consulatum rerum potitus est, Eusebius annos LVI quot eidem rectissime adscripti sunt, ex altero qui praesto erat, indice qui ab adoptione post Caesaris mortem die 19. aut 20. Martii 44 a. C. facta Augusti dominationem auspicabatur, subtilius definiendos esse ratus in ea re adeo mire lapsus est, ut eam annorum quinquaginta sex et dimidiati fuisse diceret pro annis quinquaginta septem et dimidiato. Quod detrimentum postea Claudio annis XIIII mensibus VIII pro annis XIII mensibus VIII concessis compensatum est. Inde cum quotquot intersunt imperia inter Augustum et Claudium, uno anno prius quam debebant collocarentur, prius mendum novo mendo commisso in Gaio extenuatum est cui pro annis III mensibus X tantum anni III menses IIII dati sunt. Haec omnia insolentia sunt et possunt videri ad libidinem esse excogitata; simulac vero in canonem ad Antiochenorum annorum normam confectum oculos conieceris, omnia plana erunt: Eusebius enim, in altero illo quod excussit, exemplari cum subtilius tempus constitutum non reperiret nisi duarum rerum, quando Augustus principatum iniisset et quando Gaius occisus esset, has duas temporum notas cum alterius exemplaris tenore coniunxit in quo unumquodque imperium a die 1. Octobris eo numerabatur qui verum imperii initium praecessit. Simili accuratae computationis et obiter institutae contaminatione parum iudiciosa effectum videtur esse, ut apud Hieronymum Claudii imperium

*) Simili modo lapsus est Iosephus (B. I. II, 9, 1. 5) quem, cum Augusto ann. LVII mens. VI d. II, Tiberio ann. XXII mens. VI d. III tribuat, Augusti mortem in die 14. Septembris 14 p. C. fixisse manifestum est: nimirum in transferendo eo quod erat XIIII. Kal. Septembres, vappam memoria fefellit.

decem diebus augeretur: neque enim a die 16. Martii 37, si stricta interpretatione utimur, ad diem 25. Ianuarii 41 Gai anni III menses X porriguntur, sed ad diem 15.

In Pertinace non tantum consensus Eusebii cum Hieronymo cessat, sed ille etiam cum vera temporum ratione congruere desinit, et simul non intermissa eo usque argumentorum spatii historici ubertas subito exarescit: ita omnia primarium Eusebii fontem hic defecisse significant Iam si anni regnantium hactenus in album relati cum annis Abrahami quomodo comparati sint, oculis perlustramus, invenimus primum annum Abrahami a Cyro ad Ptolemaeum III. aequatum esse anno qui est a solstitio 2016 ad solstitium 2015 a. C., deinde a Ptolemaeo IV. ad Cleopatram anno qui est ab autumnali aequinoctio 2018 ad aut. aeq. 2017 a. C., denique a Caesare ad Pertinacem anno qui est ab autumnali aequinoctio 2017 ad aut. aeq. 2016 a. C. Harum aequationum quae media est, in censum non venit quippe cui qui ansam dederunt, temporum ordines loco moti postea in integrum restituti sint; relicuae duae mensibus novenis distant. Inde efficitur annos qui normae instar sunt, Abrahami neque a solstitio neque ab autumnali aequinoctio incipere potuisse: si secus esset, eos haud dubie annos inter se exaequatos videremus qui trimestri solum spatio excepto congruunt. Iam cum annus a pascha initium habens Eusebii tempestate in usu fuerit nullus, annus vero Romanus a Kalendis Ianuariis incipiens per totum orbem Romanum crebro usurpatus sit, controversum esse nequit annos Abrahami quibus Eusebius in temporum computandorum rationibus diversis inter se componendis usus est, annos esse Iulianos et annum Abrahami primum in annum qui est a die 1. Ianuarii ad diem 31. Decembris 2016 a. C., exacte quadrare. Anno 1240 Abr. qui est 777 a. C., primus annus primae Olympiadis aequatur quae ita iustum Olympiadum initium uno et dimidiato anno praecurrit: Olympiades igitur Eusebianae non genuinae sunt, sed tetraëterides Iulianae quarum bissextilis quisque annus Olympiade signatur. Contra Hieronymus cum Olympiadis primae annum primum anno 1241 Abr. qui est 776 a. C., respondentem facit, pseudolympiacis veros Olympiadum annos substituit eosque nostro more superioribus quibusque annis Iulianis aequavit. Anni ab urbe condita non inveniuntur nisi in exemplo Armeniaco, sed ne hic quidem ultra primos annos CCCLXII continuati sunt. Ibi primus urbis conditae annus anno Abrahami 1264 sive Olymp. VII, 1, id est anno 753 a. C., convenit. Varronis igitur computationem Eusebius secutus est.

Pervenimus iam ad indicem posteriorum imperatorum eaque tempora unde Eusebius et Hieronymus dissentire incipiunt.

	numerus Canonis Eus.	numerus Canonis Hier.	accuratior numerus Eus.	accuratior numerus Hier.	annus Abrahami Eus.	annus Abrahami Hier.	qui incipit a die p. C.	Imperii initium ex accuratiore computatione:
[Helvius Pertinax	a.I.	(huius imperii nulla ratio habetur.)	—	m.VI.	2209	(2209).	1. Oct. 192. (superest annus unus.)	Pertinax d 1. Ian. 193, † d. 28. Mart. 193. Iulianus d. 28. Mart. 193, † d. 1. Iun. 193]
Severus	a.XVIII.	(a.XVIII.)			2210	(2209).	29. Aug. 192.	d. 1. Iun. 193.
Antoninus f. Severi cogn. Caracalla	a.VII.	(a.VII.)			2228	(2227).	29. Aug. 210. (superest annus unus)	d. 4. Febr. 211, † d. 8. Apr. 217.
Macrinus	a.I.	(a.I.)			2235	(2234).	29. Aug 216	d. 11. Apr. 217.
Antoninus alter	a.IIII.	(a.IIII.)			2236	(2235).	29. Aug. 217.	d. 8. Iun. 218.
Alexander f. Mammaeae	a.XIII.	(a.XIII.)			2240	(2239).	29. Aug. 221.	d. 1. Febr. 222.
Maximinus	a.III.	(a.III.)			2253	(2252).	29 Aug. 234.	d. 10. Febr. 235, † ineunte m. Maio 238.
Gordianus	a.VI.	(a.VI.)			2256	(2255).	29. Aug. 237.	medio m. Iunio 238.
Philippus	a.VII.	(a.VII.)			2262	(2261)	30. Aug 243. (superest annus unus.)	m. Martio 244.
Decius	a.I.	(a.I)	a.I m III.	(a.I m.III.)	2269	(2268).	29. Aug. 249.	m. Septembri 249.
Gallus et Volusianus	a.II.	(a.II.)	a.II m.VI.	(a.II m.IIII.)	2270	(2269).	29 Aug. 250.	Gallus m. Novembri 250 (re vera 251.) Aemilianus m. Februario 253 (re vera 254).

	numerus Canonis Eus.	numerus Canonis Hier.	accuratior numerus Eus.	accuratior numerus Hier.	annus Abrahami Eus.	annus Abrahami Hier.	qui incipit a die p. C.	Imperii initium ex accuratiore computatione:
Valerianus et Gallienus	a.XV.	(a XV.)			2272	(2271).	29.Aug.252.	m. Maio 253 (re vera 254).
Claudius	a. II.	(a. II.)	a. I. m. VIIII.	(a. I. m. VIIII.)	2287	(2286).	30 Aug. 267.	m. Iunio 268 (re vera m. Martio 268).
Aurelianus	a. VI.	(a. VI.)	a. V m. VI.	(a. V m. VI.)	2289	(2288).	29. Aug. 269.	Aurelianus m. Martio 270 (re vera m. Iun. 270). Interregnum m. Martio 275.
Tacitus			— m. VI.	(— m. VI.)	2294	(2293).	29. Aug. 274.	d. 25. Sept. 275.
(Florianus			— — d LXXXII.	(— — d LXXXVIII.)	2294	(2293)	29. Aug. 274.	d. 11. Apr. 276.)
XXXI. Probus	a. VII.	(a. VI.)	a. VI m. IIII.	(a VI m. IIII.)	2295	(2294).	30. Aug. 275.	d. 1. Iul. 276.
Carus cum filiis Carino et Numeriano	a. II.	(a. II.)			2302	(2300).	29. Aug 282.	m. Octobri 282; Numeriani mors ineunte Septembri 284.
Diocletianus	a. XX.	(a. XX.)			2304	(2302).	29 Aug 284.	d. 17. Sept. 284.
		(Interregnum ann. I.)				(2322).	(29. Aug. 304.) (deest annus unus.)	d. 1. Mai. 305.
Constantinus		(a XXXI.)		(a. XXX m X)	2324	(2323).	1. Ian. 306.	d. 25. Iul. 306.
annus imperii XX					2343	(2342).	= 1. Ian. / 31. Dec. 325.	

Haec tabula inspecta declarat ad describendum spatium a Decio usque ad Numerianum ab Eusebio indicem adhibitum esse qui tempora imperii ita definiebat, ut annis imperatorum adderet menses; is index menses quo Claudius et quo Aurelianus imperio potiti sunt, inter se commutaverat et id etiam amplius peccaverat, quod annus qui inter seditionem ab Aemiliano adversus Gallum m. Maio 253 commotam et mortem Aemiliani Valerianique singulare imperium m. Maio 254 intercessit, bis computatus erat, et in Galli et in Valeriani annis, et quo constaret ratio, imperium Decii uno anno decurtatum erat. Eum indicem, mendis videlicet non immunem, Eusebius mensibus partim abiectis, partim pro anno numeratis in Canonis quadrum redegit, et id quidem emendate et constanter fecisse censendus est, modo fixos qui vocantur, Alexandrinorum annos a die 1. Thoth incipientes calculis subesse ponas; nam quod Taciti et Floriani imperiorum brevium nec seorsum in album relatorum memoria pro primo anno Probi ad ultimum Aureliani adscripta est, ut alibi scripturae potius quam computationis discrepantia est. Id unum rem comprobat, quod VI mensibus Taciti et paullo plus duobus mensibus Floriani Probi ann. VI menses IIII ita ad amussim complentur, ut septennii quod huic tributum est, ratio probe conveniat. Inter Commodum atque Decium non minus triennio redundat: pauci enim quos Pertinax rebus potitus est, menses solidi anni vice funguntur; deinde Antonino Caracallae qui iam post alterum ab inchoato septimo imperii anno mensem perierit, nulla ratione habita sui Macrino quoque anni concessi integri septem anni dati sunt; denique gravissime dissentitur in Philippo qui cum re vera non imperaverit nisi annos V menses VI, ab Eusebio integrum septennium et ipse imperasse fingitur. Ea re, cum ex Alexandrinorum rationibus Philippus utique mense Thoth anni imperii septimi interierit, denuo Alexandrina illius indicis origo manifestissime indicatur: cuius indicis in superioribus quoque capitibus ab excessu Commodi ea est adornatio, ut excepta mira illa triennii interpolatione cum Alexandrinorum rationibus prorsus congruat. Fac iam exstitisse quondam Alexandrinorum annales qui in mortibus Pertinacis Caracallae Philippi finem facerent: quibus si unum et bis septenos annos adscripsissent, secundum ea quae supra docuimus, rem fecissent aptam et consentaneam; et possis sane cogitare nebulonem aliquem annales istos compilasse et laterculos imperatorum quos praebebant, incautius inter se committendo redundans illud triennium abstulisse. Historicum vero peritum et probato ubivis per diversissimum literarum genus iudicio qualem fuisse scimus Eusebium, num credibile est de temporis spatio recentioris potissimum historiae vel foede errasse vel, quod idem est, foedum prioris cuiusdam scriptoris erratum non intellexisse, intellectum non emendasse? Unum quidem ex tribus annis redundantibus Eusebius (id quod Samuelis Aniensis quippe cui integriore translationis Armeniacae exemplari uti licuerit, testimonio confisi haud dubitanter pronuntiamus) postea expunxit medio quod inter imperium a Diocletiano depositum et Augusti nomen Constantino a militibus primo delatum intercessit, spatio prorsus neglecto; sed

hac emendatione ut salva res sit, tantum abest, ut novo et inextricabiliore etiam mendo recto temporum ordine deserendo nos involvat: Constantium enim integro anno amplius imperasse inter omnes constat. Id vero nescivisse Eusebium aetate proximum! Optimo hic iure Hieronymus annum interposuit, ut prima specie possit sane animus inclinare ad Latinum exemplum tam hic quam in simili causa Armeniacae translationi praeferendum. Exclusit etiam re vera Hieronymus ex annis illis a temporum ratione alienis unum qui Pertinaci adscriptus erat, ut iam non binis annis, quemadmodum Armeniacum Eusebii exemplar, sed singulis a genuino calculo dissideat. Sed et septimos quosque annos in Caracalla et Philippo redundantes intactos reliquit, et annum quem ad definiendum Constantii imperium convenienter interponeret, eo lucratus est, quod alibi eundem subtraxit, id est in Probi imperio annorum VI mensium IIII quod Canonis rationibus ita accommodatum est, ut annorum sit sex pro septem ab Armenio Probo tributis: id vero aeque ab Eusebii mente alienum est in cuius accuratiore imperatorum laterculo summa annorum et mensium a Decio ad Probum consurgens ipsos illos quot Armeniacus Canon supputavit, annos XXXIII, non XXXII, ut apud Hieronymum est, ad amussim expleat, atque cum historia pugnat quae et hic Armenio suffragatur et a primo Probi anno ad primum Constantini non XXVIIII, sed XXX annos praeteriisse manifesto docet. Hieronymi igitur dissensum cum alibi, tum hic a nulla alia re repetendum esse intellegitur nisi a coniecturis quas ad emendandum Graecum exemplum callide inventas obiter ac neglegenter exsecutus est.

Iam quaeritur quid de molesta illa ab emendatis rationibus aberratione in imperatorum temporibus constituendis censendum sit quam Eusebius si non primus invenit, at repetendo comprobavit. Unum est, nisi fallor, quo nodum solvas, ut dicas subesse hic figmentum ad fastos commodius digerendos excogitatum et annos illos complementi vice fungi, eo unice consilio interpolati, ut ab obsoleta annorum forma ex qua antiquiora exempla pependerant, ad alteram eorundem annorum formam quae scribentis tempestate usu recepta erat, traduceretur.*) Ponamus verbi causa antiquiora exemplaria Catonis in annis ab urbe condita numerandis institutum secuta esse: biennium complementi instar inserendum erat, ut ad annos urbis Varronianos qui imperatorum temporibus in usum venerant, transitus fieret; nisi forte libebat priorum annales totos rescribere. Hoc quidem quin ex artis legibus unice liceat, hodie nemo dubitat; sed cavendum est, ne quem fugiat nec imperatorum tempestate ullum annorum a remotiore initio continuo numeratorum ordinem vulgo receptum esse, nec nisi ex imperantis cuiusque principis annis tempora fere supputata esse, nec tale commentum

*) Pari commento usus Nicephorus Callistus in Historia ecclesiastica inter undevicesimum Tiberii et ultimum Iustini II. annum quattuordecim annos sensim interpolavit, transitum, ut opinor, ab annis ab orbe condito Alexandrinis ad annos Constantinopolitanos conciliaturus: quod quomodo effecerit, diagrammate in Fastis Romanis II, 149 exposito Henricus Fynes Clinton dilucidavit.

quale priore loco nominavimus, quo mendum in annos principum non inferretur, habuisse quod offenderet. Verum aegre credi potest ansam illi interpolationi dedisse annorum ab urbe condita computationem utpote quae in Eusebii opere minimi momenti sit neque, cum obsoletis his virorum doctorum quisquiliis lectores facile carere possent, ultra annum CCCLXII. sit continuata; consentaneum potius videtur esse ab Olympiadum rationibus, triennii complemento Eusebiano et ipsis turbatis, chronographici illius figmenti explanationem repetendam esse, ab Olympiadibus igitur cum bissexto Iuliano coniunctis quibus ad Pertinacem usque tempora distincta sunt, transitum factum esse ad novam quandam Olympiadum computationem alio prorsus modo institutam. Iam praeter genuinas Olympiadas earum tantum quibus Iulianorum annorum intercalatio signatur, ratione fere habita Syncelli quidam locus de Aegyptiorum Olympiadibus (p. 370, 19 ss.), memoria ille dignissimus, ab omnibus adhuc, quod sciam, neglectus est, fortasse quod non satis intellegeretur. Et uti sane caput illud, ut ineptam quae in editionibus est, distinctionem mittamus, mendis librariorum et timidioribus quibusdam corrigendi conatis, iam in exemplaribus, nisi fallor, eius quem Syncellus exscripsit, scriptoris (Panodori puta vel Aniani) perfectis, subinde depravatum est, ita non adeo est corruptum, quin ex arithmeticae et ex diplomaticae quam vocant, artis praeceptis in hunc tenorem certo possit restitui:

Οὐκ ἄμουσον δ' ἂν εἴη καὶ τὴν παρ' Αἰγυπτίοις περὶ τῶν τετραετηρικῶν ὀλυμπιάδων ἔννοιαν ἄλλην τινὰ τῆς (τὴν codd.)[1]) παρὰ τοῖς 'Αθηναίοις[2]) οὖσαν ἐν βραχεῖ δηλῶσαι τοῖς ἀγνοοῦσιν. ἡ γὰρ σελήνη παρ' Αἰγυπτίοις κυρίως ὀλυμπιὰς καλεῖται, διὰ τὸ κατὰ μῆνα περιπολεῖν τὸν ζωδιακὸν κύκλον, ὃν οἱ παλαιοὶ αὐτῶν Ὄλυμπον ἐκάλουν. αὕτη γὰρ ἀπὸ καρκίνου τοῦ ἰδίου οἴκου ὡς ἀπὸ κέντρου προερχομένη τὰ ιβ' κατασπάζεται ζώδια ἐν νυχθημέροις κθ' καὶ ἡμίσει καὶ λεπτοῖς μδ', δ' (λγ', γ' codd.). τῷ δὲ ἐνιαυτῷ ὅλῳ δωδεκάκις αὐτὰ περιπολοῦσα πληροῖ νυχθήμερα τνδ' καὶ ὥρας η' καὶ λεπτὰ να' (μ' codd.).[3]) ὁ δὲ ἥλιος ἐν νυχθημέροις τξε', δ' περιπολεῖ τὸν αὐτὸν Ὄλυμπον, ὡς λείπεσθαι τὸν σεληνιακὸν ἐνιαυτὸν τοῦ ἡλιακοῦ νυχθήμερα ι', ὥρας κα', λεπτὰ θ' (ε' codd.). πληροῖ οὖν ὁ ἥλιος ἐν ὀλυμπιάδι μιᾷ τετραετηρικῇ ἡμέρας ,αυξα', ἡ δὲ σελήνη νυχθήμερα ,αυιζ', ὥρας ια', λεπτὰ κδ', καὶ (κε' cod. B, κθ' cod. A et edd.) σελήνιον[4]) ἓν καὶ ἥμισυ. ἐν δὲ ὀλυμπιάσι δύο γίνονται σελήνια ,ϡθ', νυχθήμερα δὲ ,βϡκβ', ἃ καὶ ὁ ἥλιος ἐν τοῖς η' ἔτεσι. Καὶ τοιαύτη μὲν ἡ τῶν Αἰγυπτίων δόξα περὶ ὀλυμπιάδων.

[1]) Emendavit Guilielmus Dindorf. [2]) Nempe Syncellus ordinem archontum Atheniensium cum Olympiadum annis commissum repperit. [3]) Mendosam literam μ' veri simile est iam in codice Panodori positam fuisse in causa, cur λεπτοῖς τετταράκοντα τέτταρσι, τετάρτῳ, id quod apicum literarum ratione habita non ita difficile erat, cum λεπτοῖς τετταράκοντα τρισὶ, τρίτῳ permutaretur, unde apud Syncellum longius vagante corruptela λεπτοῖς λγ', γ' effectum est. [4]) Haec vox evidenter hic ita usurpata, ut sollemnem vim habeat spatii quo orbis lustrationem luna complet, Graeco lexico restituenda est.

Itaque cum Aegyptiorum Olympias nihil sit nisi elementum octaëteridis, primus

quisque annus Olympiadis Aegyptiacae impari numero signatae primus annus etiam octaëteridis erat. Ex eo, quod lunam propriam sibi sedem in Cancro obtinere et inde exorsam signa transire expresse urgetur, anni magni, quo lunae et solis cursus ad idem unde exierant, temporis punctum rediret, instituti initium necessaria argumentatione cogitur fuisse temporis punctum eiusmodi quo cum luna sol et ipse stationem in Cancro haberet, id est solstitium, ut in primitivis Eleorum Olympiadibus. Porro has Aegyptiacas Olympiadas genuinis non aequari Syncellus nos docet: iam cum mensis a quo utraeque incipiunt, idem sit, non potest non annus initii diversus fuisse. De veterum Aegyptiorum octaëteride nescio qua cum cogitari omnino non possit, octaëteridem intellegi ante circulum lunarem undevicenorum annorum usu receptum ab Aegyptiis Christianis ad festum paschale computatione figendum adhibitam de qua edolanda Dionysius, episcopus Alexandrinus, summis ille ab Eusebio laudibus elatus, optime inprimis meruit, veri est simillimum. De adornatione ut quaeramus, bene fecit Eusebius, quod in Hist. eccl. VII, 20 id minimum nos docuit regulam fuisse huic octaëteridi, ut ne ante vernum aequinoctium pascha incideret; de initio ex loco quem memoria eius rei apud Eusebium obtinet, id unum certe colligere licet octaëteridem Dionysianam tempestate Gallieni patre capto solius imperantis institutam esse. Cum in Armeniaco Eusebii exemplo primus annus Diocletiani cum Olympiade CCLXVII compositus inveniatur, secundum ea quae supra disputata sunt, a solstitio a. 284 nova octaëteris inceperit necesse est. Quod si recte posuimus, efficitur initium octaëteridis Dionysianae incidisse in solstitium anni 260 qui Gallieni solius imperantis est primus. Quam Syncellus descripsit, octaëteris in sole a Iuliana definitione qua anno vertenti dies CCCLXV cum quadrante tribuuntur, proficiscitur, in luna mediam quandam inter Callippeam et Hipparcheam mensuram sequitur qua mensis naturalis putatur esse dierum XXVIIII horarum XII minutarum XLIIII cum quadrante. XCVIIII huius moduli menses lunares dies MMDCCCCXXII quot efficiuntur solaribus annis octo, non aequant, quemadmodum in Syncelli demonstratione brevitatis causa dictum est, sed fere aequant: efficiunt enim dies MMDCCCCXXIII horas XIII minutarum quadrantes tres. Quod reliquum restat diei I horarum XIII minutarum quadrantium trium, cum undevicies repetitum in dies XXVIIII horas VII minutas XIIII cum quadrante assurgat, ut aequatio cum anno solari restituatur, uno mense intercalari omisso opus est: itaque annus maior annorum vertentium CLII ad corrigendam eiusmodi octaëteridem est necessarius. Usus octaëteridis ea ratione per enneacaedecaëteridem quasi coërcitae non poterat non sponte transitum parare ad meram enneacaedecaëteridem in qua inducenda ipse Eusebius inprimis laborasse traditur. Ab octonorum annorum circuitu ad undevicenorum annorum circuitum saltuatim transiisse Christiani eo minus credi possunt, quod postea quoque communi in usu erat, ut in ogdoadem et hendecadem singulae enneacaedecaëterides dissolverentur.*) Quae cum ita sint, satis certum est

*) Conf. Ideler, Handb. d. Chronol. II, 234.

non casu factum esse, ut anni $\frac{284}{285}$ et $\frac{276}{277}$ initia sint etiam circulorum quorundam paschalium undevicenorum annorum: a primo enim anno Diocletiani Alexandrinorum circulus lunaris incipit quem postea uno animo totus orbis Christianus amplexus est, et ab anni 277 nova luna pascha praecedente Anatolius enneacaedecaëteridem suam auspicatus est. Scilicet non mirum fecerunt enneacaedecaëteridum auctores, si novos suos annos magnos cum absoluto antiquiore circuitu copulaverunt. Quare haud scio an initium octaëteridis in anno qui est a solstitio 284 ad solstitium 285, collocatum quod ex Eusebio derivavimus, valde comprobetur. Ficticium Aegyptiacarum illarum quas diximus, Olympiadum exordium in solstitium anni 781 a. C. incidit. Iam vero inter initium horum annorum et primum annum Diocletiani intersunt Olympiades CCLXVI, id est octaëterides CXXXIII; quibus per numerum undevicenarium divisis efficitur hoc omne temporis spatium contineri annis maioribus septem annorum vertentium CLII. Itaque a prima Olympiade Aegyptiaca non solum literae dominicales maioris huius anni lunaris eundem prorsus ordinem sequntur quem a primo anno Diocletiani, sed etiam numeri aurei eodem ordine redeunt. Hoc ut temere factum sit, tantum abest, ut hanc Aegyptiacam Olympiadum rationem aut ipso anno primo Diocletiani aut post annum primum excogitatam esse declaret cuius ope tempus paschale commodius inveniretur. Quae cum ita sint, Eusebium a Pertinace ad primum annum Diocletiani Alexandrinis fastis usum esse censemus in quibus triennii complementum interpositum erat, quo ab Olympiadibus Iuliana bissexta signantibus transitus fieret ad Olympiadas Aegyptiorum paschales: id quod etiam eo confirmatur, quod accuratior qui imperatorum tempora non tantum annis, sed etiam mensibus notavit, index in Numeriano finem habet.*)

Ex annis illis redundantibus unum Eusebius postea exclusit nulla ratione habita eius quod inter Diocletianum et Constantium intercessit, intervalli. Et fecisse quidem hoc Eusebium negari nequit: per tempora enim rerum in spatio historico collocatarum quae ubivis non, quod re ab Eusebio neglecta exspectandum erat, triennio, sed biennio redundanti differant, ad liquidum perducitur latere hic proprium quiddam Eusebii, non erratum Samuelis Aniensis. Quaenam vero huius tam miri commenti causa fuerit, haud facile dixeris: neque enim Eusebii, horum temporum aequalis, turpem quandam hic ignorationem deprehendi quisquis diligentius rem consideraverit, fatebitur. Una modo rei expediendae mihi succurrit ratio quam, cum coniecturae locus sit, in medium proferre liceat. Octaëteris Aegyptiaca cum catholica illa quam quae ei substituta est, enneacaedecaëteris ecclesiae Alexandrinae postea adepta est, auctoritate nequaquam frueretur, neque ipsa neque Olympiades cum ea coniunctae

*) Nam quod iam Caro et filiis missis mensibus integri anni adscripti sunt, inde satis excusatur, quod ab initio Cari usque ad mortem Numeriani etiam subtilius calculis subductis duo fere anni praeterierunt.

Eusebii Chronicon legentibus nisi Aegyptiis quidquam utilitatis afferre poterant. Iam praeter eam etiam altera octaëteris apud veteres Christianos in usu erat Romana quam Hippolytus in formam anni magni XVI annorum sive, ut verius dicamus, anni maioris CXII annorum redegerat initio facto ab anno Iuliano 222 p. C. Huic vero Olympiadum ratio non minus apte quam Aegyptiacae ita accommodari poterat, ut primus quisque annus Olympiadis impari numero signatae initium fieret octaëteridis; atque etiam tum cum paullo ante Eusebii aetatem in Romana ecclesia octaëteris circulo octogenorum quaternorum annorum locum cessit, Olympiadum computationi locus servatus est, quia cum novus annus magnus per numerum quaternarium dividebatur, tum annus initialis qui est 298 p. C., in eo quod bissexti Iuliani rationibus efficitur, quadriennio eandem sedem obtinebat quam primus quisque annus heccaedecaëteridis Hippolyteae. Hae Romanorum Olympiades paschales existimandae sunt sesquialtero semper anno post Aegyptiacas incepisse. Num a vero abhorret Eusebium qui totius orbis Romani hominibus opus suum destinasset, Aegyptiacae illi Olympiadum rationi, relicuis Christianis omnino obscuriori, novam quandam substituisse, Romanae ecclesiae computationi paschali accommodatam, eumque annos unum et dimidiatum qui hoc pacto iam supervacanei erant, omisso quod inter finem Diocletiani et initium Constantini intercessit, temporis spatio expunxisse? Nisi enim existimamus Eusebianum imperatorum indicem inde a Pertinace non tam canonem esse temporum rationi exacte respondentem, quam tabulam fastorum potissimum usui inservientem qua characteres annorum facilius invenirentur, quod portentosi indici illi inest, expediri nequit.

Iam cum Armeniacum Eusebii exemplar vicesimum annum Constantini qui est 325 p. C., cum Olympiadis CCLXXVI. anno 4. componat, Olympiadis primae annus primus a die 1. Ianuarii 779 a. C. incepisse putandus est. Deinde cum eidem illi Olympiadis CCLXXVI. anno 4. annus 2343 Abrahami aequetur, annos Abrahami in ultima Canonis parte a die 1. Ianuarii 2018 a. C. numerari perspicuum est. Hieronymus autem, cum usque ad Pertinacem Eusebii Olympiadibus Iulianis Olympiadas genuinas substituerit earumque annos superioribus quibusque annis Abrahami, Iuliano illis more computatis, aequaverit, a Pertinace ad Constantinum singulis, non quemadmodum Eusebius, binis annis redundantibus ab emendatis rationibus differt et vicesimum annum Constantini qui est a d. 1. Ianuarii ad d. 31. Decembris 325 p. C., cum anno 2342 Abrahami et Olympiadis CCLXXVI. anno 2. componit: quo fit, ut ipsi per totum hoc spatium anni Abrahami a die 1. Ianuarii 2017 a. C., Olympiades a die 1. Ianuarii 777 a. C. numerentur. A genuinis igitur Olympiadibus Hieronymus ad eas transiit quae cum annis Iulianis bissextilibus coniunctae sunt. Non a re quidem id novatum est; sed his ab Hieronymo immutatis rationem quae inter Eusebianam temporum notationem et verum calculum intercedit, prorsus non affectam esse ex iis quae postea disputabimus, apparebit.

Relicuum est ut tempora rerum in spatium historicum congestarum ex-

aminemus. Huic negotio eas res unice selegimus quae in exemplo Armeniaco et in codice Petaviano quem inter libros Hieronymi manuscriptos locupletissimum verae lectionis fideliter expressae testem esse intelleximus, iisdem annis adscriptae leguntur; sed cum pro comperto esset in Hieronymi codicibus lemmata non raro ita appicta esse, ut dubium esse possit utrum ad praecedentem an ad sequentem annum pertineant, nos quo firma omnino quaestionis fundamenta iaceremus, ea quoque argumenta seclusimus in quibus collocandis Arnaldus Pontacus et Alfredus Schoene inter se discordant. Quo facto cum nulla iam superesset temporis notatio nisi quae haud dubie ab ipso Eusebio profecta esset, ex tota farragine ea argumenta quorumcunque neque de tempore recte per Eusebium constituto controversia moveri posset et ex aliis scriptoribus annus constaret, ad causam cognoscendam adhibuimus a Cyri regno iterum facto initio.

	Eusebianum tempus:	Verum tempus:
A. Thales moritur	Abr. 1469, Ol. 58, 2.	Ol 58, 1 (548 a. C.)
A. Hipparchus et Hippias Athenis tyrannidem exercent.	1489, Ol. 63, 2.	Ol. 63, 1 (528).
A. Athenienses pestilentia laborant	1587, Ol. 87, 4.	Ol. 87, 3 (430).
A. Euboea ab Atheniensium societate discedit.	1605, Ol. 92, 2.	Ol. 92, 1 (412).
O. Dionysius in Sicilia tyrannidem exercet ..	1610, Ol. 93, 3.	Ol. 93, 3 (406).
O. Euagoras in furorem versus (ἐξέστη), cum regnaret Cypri.	1630, Ol. 98, 3.	Ol. 98, 3 (386).
A. Bellum Alexandri in India adversus Porum et Taxilem.	1690, Ol. 113, 3	Ol. 113, 2 (327).
O. Macedonum duces in seditionem versi....	1693, Ol. 114, 2.	m. Iul. Ol. 114, 2 (323).
O. Perdicca adversus Aegyptios dimicat.....	1694, Ol. 114, 3.	m. Iun. Ol. 114, 3 (321).
A. Romani Syracusus capiunt (ἐπολιόρκουν)...	1754, Ol. 129, 3.	263.
O. Aristarchus grammaticus agnoscitur......	1860, Ol. 156, 1.	Ol. 156, 1 ($\frac{156}{155}$).
A. Descriptione Romae facta inventa sunt hominum CCCXXII milia.	1870, Ol. 158, 3.	147.
A. Trypho Syriae regnum conatus invadere Antiocho filio Alexandri interfecto ad extremum et ipse supermoritur.	1879, Ol. 160, 4.	a. 174 Seleuc. ($\frac{\text{aut. } 139}{\text{aut. } 138}$).
O. Bellum servile ortum in Sicilia..........	1882, Ol. 161, 3.	134.
A. Arsaces Parthus Antiochum interfecit....	1888, Ol. 163, 1.	Ol. 162, 4 ($\frac{129}{128}$).
O. Iugurtha contra Romanos dimicans capitur.	1909, Ol. 168, 2.	ineunte a. 106.
A. Lepidus publicus hostis iudicatus	1939, Ol. 175, 4.	78.
O. Caesar Rhenum transiens Germanos vastat.	1961, Ol. 181, 2.	55.
O. Augustus Cyzicenos libertate privavit	1995, Ol. 189, 4.	vere a. 20 a. C.
O. Augustus cum Tiberio filio suo censum Romae agitans invenit hominum XCIII centena et LXX milia.	2029, Ol. 198, 2.	14 p. C.
O. Germanicus Caesar de Parthis triumphavit.	2033, Ol. 199, 2.	19.

	Eusebianum tempus:	Verum tempus:
O. Pompei theatrum incensum	Abr. 2037, Ol. 200, 2.	22 p. C.
A. Tiberius Drusum consortem regni facit ...	2038, Ol. 200, 3.	22.
A. Drusus Caesar veneno perit	2039, Ol. 200, 4.	23.
A. Multi senatorum et equitum Romanorum interfecti.	2052, Ol. 204, 1.	36.
A. Claudius de Brittanis triumphavit	2060, Ol. 206, 1.	44.
O. Nero Romae in citharistarum agone contendens cunctos superat.	2079, Ol. 210, 4.	64.
O. Rursum Nero Isthmia Pythia Actia celebrans inter cerycas, tragoedos et citharistas coronatur.	2082, Ol. 211, 3.	m. Augusto vel Septembri 67.
A. Vespasianus aput Iudaeam imperator ab exercitu appellatus.	2085, Ol. 212, 2.	d. 1. Iulii 69.
A. Colossus erectus, habens altitudinis pedes CVII.	2091, Ol. 213, 4.	75.
A. Mons Vesuvius ruptus in vertice tantum ex se iecit incendii, ut regiones vicinas et urbes cum hominibus exureret.	2095, Ol. 214, 4.	d. 24. Augusti 79.
A. Romae plurimae aedes incendio concremantur.	2096, Ol. 215, 1.	80.
O. Domitiani uxor Augusta appellatur	2097, Ol. 215, 2.	82.
O. Domitianus multos nobilium perdidit, quosdam vero et in exilium misit.	2109, Ol. 218, 2.	95.
A. Decreto senatus Nerva in deos relatus ...	2114, Ol. 219, 3.	ineunte a. 98.
A. Iudaeis Mesopotamiae rebellantibus praecepit Traianus imperator Lysiae (Λουσίῳ) Quieto, ut eos provincia exterminaret.	2131, Ol. 223, 4.	115.
A. Salaminam, urbem Cypri, interfectis in ea gentilibus subvertere Iudaei.	2132, Ol. 224, 1.	116.
A. Senatus Traianum in deos refert	2134, Ol. 224, 3.	118.
A. Iudaei in arma versi Palaestinam depopulati sunt tenente provinciam Tinio Rufo cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum.	2148, Ol. 228, 1.	m. Martio 132.
A. Commodus imperator colossi capite sublato suae imaginis caput ei iussit imponi.	2205, Ol. 242, 2.	189.
O. Incendio Romae facto palatium et aedes Vestae plurimaque urbis pars solo coaequatur.	2207, Ol. 242, 4.	192.

Quadraginta unius argumentorum ex toto usque ad Pertinacem temporis spatio hic selectorum maior pars, id est viginti quattuor, distincta ea litera A, ab annis Abrahami pendent et ab Olympiadibus bissexta Iuliana signantibus quae cum illis congruunt: quae recte collocata esse apparebit, dum in temporibus a. C. a numero

2017 annum quemque Abrahami, in temporibus p. C. ab anno quoque Abrahami numerum 2016 subtraxeris. Minor pars lemmatum septendecim quae litera O insignivimus, ab Olympiadibus pendet genuinis quas Eusebius maluit pseudolympiadibus suis exaequare quam transscribendo mutare. Quae in temporibus notandis inconstantia quin ex fontium diversitate orta sit, dubitari non potest: id est, Eusebius quarum rerum memoriam ex annalibus secundum Olympiadas tempora digerentibus cum aliorum, tum Phlegontis hauserat, non mutatam sub pseudolympiadibus Iulianis in Canonem intulit. quae nomine, non re congruerent; quorum vero argumentorum ex annis regnorum aut ex alio aliquo praeter Olympiadas ordine annorum tempora computata reppererat, ad annorum Abrahami rationem exigendo rescripsit. Uti adhuc nondum mihi contigit, ut ad quam regulam delectum ex utriusque generis fontibus Eusebius direxisset, invenirem, ita haec mihi videor observare, primum in describendis antiquioribus temporibus quorum quasi columen est Graecia, computationem quam litera O distinximus, propendere, ab imperatorum vero Romanorum aetate evalescere computationem A, deinde non omnino confuse has rationes permisceri, sed argumenta utrique rationi accommodata inter se quasi gregatim ita separari, ut alternis vicibus per unum spatium temporis continuum, inprimis per unum principis imperium, altera fere ratio praevaleat.

In temporibus post Pertinacem illustrandis rerum in spatio historico positarum memoria tam tenuis est ac rara, ut quam adhuc secuti sumus, ratio pauca nec nisi certissima quaeque lemmata delibandi iam non sufficiat: exinde igitur *quotquot* apud Eusebium exstant, argumenta nobis adhibenda erunt, ea quoque quae diversis ab Armenio translatore et ab Hieronymo annis adscripta sunt. Qua in re ea argumenta quorum in annis Abrahami nititur temporis notatio, ut quodque vel singulis vel binis vel ternis annis quibus illi peccaverunt, a vera temporum ratione distat, siglis vel A^1 vel A^2 vel A^3, ea quae ab Olympiadum annis suspensa sunt, litera O signabimus.

Arm.	Lat.		Tempus ab Armenio indicatum.	Tempus ab Hieronymo indicatum.	Tempus verum.
O.	—	Persecutione in Christianos facta Leonides, Origenis pater, gloriosa martyrii morte transfertur.	Abr.2216. Ol.245,1. anno Severi VII.	Abr.2218. Ol.245,2. anno Severi X. (lemma secundum a. Severi X. in Hist. eccl. VI, 2 indicatum correctum.)	aut. 201 / aut. 202.
A^2.	—	Alexander ob confessionem dominici nominis clarus habetur.	2219. Ol.245,4. Severi X.	2220. Ol.245,2 Severi XII. (lemma secundum Olympiadem rescriptum.)	aut. 201 / aut. 202.

Arm.	Lat.		Tempus ab Armenio indicatum.	Tempus ab Hieronymo indicatum.	Tempus verum.
A².	—	Origenes Alexandriae studiis eruditur.	Abr.2221. Ol.246,2. Severi XII.	Abr.2224. Ol.246,4. Severi XVI. (lemma loco motum.)	203.
A².	—	Circensibus Vulcanaliorum Romae amphitheatrum incensum.	2235. Ol.249,4. Macrini I.	2234. Ol.249,2. Macrini I. (lemma secundum a. Macrini I. rescriptum.)	d. 23. Augusti 217.
A².	—	Abgarus, vir sanctus, regnavit Edessae, ut vult Africanus.	2235. Ol.249,4. Macrini I.	2234. Ol.249,2. Macrini I. (lemma secundum a. Macrini I. rescriptum.)	Abgarus regno spoliatus est autumno a. 216 vel hieme a. 217.
—	A².	Origenes de Alexandria ad Caesariam Palaestinae transit.	2252. Ol.254,1. Alexandri XIII. (lemma loco motum.)	2249. Ol.253,1. Alexandri XI.	aut. 230 / aut. 231.
O.	O.	Regnantibus Philippis millesimus annus urbis Romae expletus est ob quam sollemnitatem . . . ludi . . . in campo Martio theatrales . . celebrati.	2262. Ol.256,3. Philippi I.	2262. Ol.256,2. Philippi II.	d. 21. Aprilis 248.
A².	A².	Pestilens morbus multas totius urbis provincias occupavit maximeque Alexandriam et Aegyptum, ut scribit Dionysius.	2269. Ol.258,2. Decii I.	2269. Ol.258,1. Galli I.	m. Novembri vel Decembri 251.*)
A².	—	Novatus presbyter Cypriani Romam veniens Novatianum et ceteros confessores sibi sociat, eo quod Cornelius paenitentes apostatas recepisset.	2270. Ol.258,3. Galli I.	2269. Ol.258,1. Galli I. (lemma secundum a. Galli I. rescriptum.)	inter d. 4. Iunii 251 et d. 14. Septembris 252.**)

*) Cum historiae tradant pestilentiam a Galli tempestate annos quindecim ita grassatam esse, ut constanter autumno (ἀπὸ τοῦ φθινοπώρου) inciperet, ad Caniculae ortum duraret, initium eius ab Henrico Fynes Clinton in autumno 252 collocatum est. Sed Hostilianum quem pestilentia illa absumptum esse scimus, solidum annum cum Gallo imperasse omnibus rite perpensis nullo modo veri simile est. Equidem non assequor quid impediat, quominus pestilentiam statim a Gallo rerum potito autumno 251 incepisse existimetur.

**) Scilicet si fides habenda est Libro pontificali.

Arm.	Lat.		Tempus ab Armenio indicatum.	Tempus ab Hieronymo indicatum.	Tempus verum.
O.	—	Valerianus in Christianos persecutione commota statim a Sapore, Persarum rege, capitur ibique senectute miserabili consenescit.	Abr.2273. Ol.259,2. Valeriani II.	Abr.2274. Ol.259,2. Valeriani IIII. (lemma secundum Olympiadem rescriptum.	Maximus persecutionis aestus d. 6. Augusti et d. 14. Septembris 258.
de-est.	O.	Sapor, rex Persarum, Syriam, Ciliciam et Cappadociam depopulatus est.	....	2275. Ol.259,3. Valeriani V. (lemma secundum Olympiadem rescriptum esse concicimus.)	260.
O.	(A[1].)	Valeriano in Persas ducto Gallienus nostris pacem reddidit.	2274. Ol.259,3. Valeriani III.	2277.Ol.260,1. Valeriani VII.	260.
O.	—	In Alexandria Bruchium quod per multos annos (*sic*) fuerat obsessum, tandem destruitur.	2287. Ol.262,4. Claudii I.	2286. Ol.262,2. Claudii I. (lemma secundum a. Claudii I. rescriptum.)	272.*)
A[2].	A[2].	Aurelianus Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum suum Gallias recepit. Zenobia aput Immas haud longe ab Antiochia vincitur.	2289. Ol.263,2. Aureliani I.	2289 Ol.263,1. Aureliani II.	Zenobiae clades exeunte a. 271.
—	A[2].	Eusebius, Laodicenus episcopus, insignis habetur.	2292. Ol.264,1. Aureliani IIII. (lemma loco motum.)	2290. Ol.263,2. Aureliani III.	272.
—	A[2].	Insana Manichaeorum haeresis in commune humani generis malum exorta	2298. Ol.265,3. Probi IIII. (lemma loco motum.)	2295. Ol.264,3. Probi II.	Manes supplicio affectus est m. Martio 277.
A[2].	—	Constantius et Galerius Maximianus Caesar adsumuntur in regnum.	2310. Ol.268,3. Diocletiani VII.	2306. Ol.267,2. Diocletiani V. (lemma loco motum.)	d. 1. Martii 292.

*) Ex Hist. eccl. VII, 32 sublata eorum quae duobus episcopis Laodicenis, Eusebio et Anatolio, acciderunt, confusione ab ipso Eusebio profecta Brucheum expugnatum esse colligitur continuo ante concilium post Zenobiae ruinam Aureliano permittente adversus Paulum Samosatenum congregatum. Et Zenobiae quidem dominationem in Aegypto ineunte autumno 271 finem cepisse Alfredus a Sallet (Fürsten von Palmyra, p. 65 ss.) ex nummis effecit; ut vero cum eodem etiam Palmyram captam, Antiochum et Firmum subinde rebellantes, eosdem debellatos in relicuum eius anni spatium coartemus, nihil est quod nos cogat. Imo annalium memoria ut longius his rebus omnibus intervallum vindicare videtur, ita Firmi rebellis oppressionem quacum Bruchei diutissime obsessi oppugnatio haud dubie coniuncta est, in medium annum 272 reicientibus nequaquam obloquitur.

Arm.	Lat.		Tempus ab Armenio indicatum.	Tempus ab Hieronymo indicatum.	Tempus verum.
—	A².	Alexandria cum omni Aegypto per Achilleum ducem a Romana potestate desciscens octavo obsidionis mense a Diocletiano capta est.	Abr.2312. Ol.269,1. Diocletiani VIIII. (lemma loco motum.)	Abr.2314. Ol 269,2. Diocletiani XIII.	296.
deest.	O.	Licinius a Galerio Carnunti imperator factus.	....	2324. Ol.271,4. Constantini II. (lemma secundum Olympiadem rescriptum esse conicimus.)	d. 11. Nov. 308.
deest.	O.	Galerius Maximianus moritur.	....	2325. Ol.272,1. Constantini III. (in Graeco exemplo annus 2325 Olymp. CCLXXII. anno 2. aequatus erat.)	ineunte m.Maio 311.
deest.	O.	Maxentius iuxta pontem Mulvium a Constantino superatus occiditur.	....	2328. Ol.272,4. Constantini VI. (lemma secundum Olympiadem rescriptum esse conicimus).	d. 27. Octobris 312.
deest.	O.	Crispus et Constantinus, filii Constantini, et Licinius adulescens, Licini Augusti filius, Constantini ex sorore nepos, Caesares appellantur.	....	2333. Ol 274,1. Constantini XI. (lemma loco motum.)	d. 1. Martii 317.
deest.	O.	Constantius filius Constantini Caesar factus.	....	2339. Ol.275,3. Constantini XVII. (lemma secundum Olympiadem rescriptum esse conicimus.)	d.8.Novembris 323.
deest.	O.	Crispus, filius Constantini, et Licinius iunior, Constantinae, Constantini sororis, et Licini filius, crudelissime interficitur.	....	2341. Ol.276,1. Constantini XVIIII. (lemma secundum Olympiadem rescriptum esse conicimus.)	m. Iulio 326.

Arm. Lat.		Tempus ab Armenio indicatum.	Tempus ab Hieronymo indicatum.	Tempus verum.
A². —	Vicennalia Constantini Nicomediae acta et sequenti anno Romae edita.	2343. Ol. 276,4. Constantini XX.	2342. Ol. 276,2. Constantini XX. (lemma secundum a. Constantini XX. rescriptum.)	d. 25. Iulii 325.

Quamvis librorum memoria varie fluctuet et Hieronymus in Graeco exemplo exprimendo hic potissimum parum sibi constiterit, id tamen ex ea quam proposuimus, tabula certo colligitur imperatorum annos ad quos solos qui adhuc Canone usi sunt, animum attenderunt, nihil prorsus facere ad tempus cognoscendum, duplicem potius cum in prioribus Canonis capitibus, tum hic rationem invicem usurpari, alteram annorum Abrahami et pseudolympiadum cum iis congruentium, alteram genuinarum Olympiadum quibus chronographico quodam figmento pseudolympiades illae exaequatae sunt. In illa computatione iam patet nec transitus ab Olympiadibus Iulianis ad Aegyptiacas triennii complemento conciliati nec postea transitus ab his ad Olympiadas Romanorum paschales rationem habitam esse, sed a temporibus Pertinacis ex his Romanis seu quoquo nomine eas appellare libebit, Olympiadibus quae a die 1. Ianuarii 779 a.C. consurgunt, et ex annis Abrahami cum iis coniunctis quorum dies 1. Ianuarii 2018 a.C. initium est, numerari.

Idem etiam ad **antiquissimam partem Canonis ante Olympiadum initium** pertinere simile est veri. Eratosthenes cuius iam pridem sententia universali auctoritate fruebatur, ipsum Troiae excidium collocaverat in exeunti anno Olympiaco *qui* est a solstitio a. 1184 ad solstitium a. 1183 a. C., annorum a Troiae excidio *initium* fecerat ab anno sequenti qui est a solstitio a. 1183 ad solstitium a. 1182 a. C., ante annos CCCCVII. primae Olympiadis. Cum neque qui Eusebio placuit, Troiani excidii annus 835 Abr. qui ex ea qua fere uti maluit, ratione esse annus 1182 a. C. putandus est, neque CCCCV annorum ad primam Olympiadem intervallum nominatim expressum usquam alibi inveniantur, non possumus facere quin aliud quam opinionem Eratostheneam modice temperatam subesse negemus. Cuius temperationis quae causa sit, planum erit, si biennium quod hic desideratur, idem post Pertinacis imperium redundare memineris. Dummodo Eusebium in toto spatio inter Olympiadum initium et Pertinacis finem interiecto notationem Olympiadum cum annis Abrahami compositarum loco motam binis annis retraxisse ponendo priori Canonis parti eandem quam postremae, aequationem restituerimus, annum 835 Abr. cui Troiae excidium assignatum est, parem habebimus anno 1184 a. C., et iam intellegemus Eusebium anno Abrahami a die 1. Ianuarii incipiente ei anno Olympiaco cuius a sequenti solstitio initium est, aequato Eratostheneum tempus fideliter expressisse. Id quod aliunde quoque comprobari potest. Eusebius enim cum usque ad annum quo Ioannes Baptistes in medium processit, 2044 Abr. sive 28 p. C. ab Adamo numeraverit annos 5228, Christi annum natalem quem cum anno 2015 Abr. sive cum a. 2 ante annorum

vulgarium principium coniunxerit, fecisse putandus est 5199 ab Adamo. Verumenimvero id molestissimum est, quia inter orbem conditum et Christum in summo opinionum dissensu nusquam fere nisi integer saeclorum numerus interpositus est. Fac propter novam aequationem intervenientem ante Olympiadum initum duos annos ab Eusebio expunctos esse et annos 3184 ab initio rerum ad Abrahamum natum consurgentes ad annum 2018 pro anno 2016, quae altera erat ratio, numerari: plana erunt omnia; ita enim primus annus Adami die 1. Ianuarii anni 5202. ante annos vulgares, ipsis annis 5200 ante Christum ex Eusebii praecepto natum, capit initium.

Restat ut inquirendo reperiamus quamnam temporis computandi rationem Hieronymus, cum suo iudicio utitur, in continuatione Canonum Eusebianorum secutus sit.

		Numerus Canonis:	Accuratior numerus:	Abr.	qui incipit a die 1. Ianuarii p. C	Verum initium:
XXXIIII.	Constantinus	ann. XXXI.	a. XXX m. X.	2323.	306.	d. 25. Iulii 306.
XXXV.	Constantinus, Constantius et Constans	ann. XXIIII.	a. XXIIII m. V d. XIII.	2354.	337.	d. 22. Maii 337 (quo die Constantinus mortuus est).
XXXVI.	Iulianus	ann. II.	a. I m. VIII.	2378.	361.	d. 3. Novembris 361 († d. 26. Iunii 363).
XXXVII.	Iovianus	ann. I.	— m. VIII.	2380.	363.	d. 27. Iunii 363 († d. 17. Februarii 364).
XXXVIII.	Valentinianus et Valens	ann. XV.	a. XIIII m. V.	2381.	364.	d. 25. Februarii 364.
	imperii annus XV			2395 = 1. Ian. / 31. Dec.	378.	d. 9. Augusti 378 (quo die Valens mortuus est).

Nihil hic est quod offendat: etenim Hieronymi et imperatorum index Iulianis annis continetur, et anni Abrahami quibus usus est, anni Iuliani sunt a die 1. Ianuarii 2017 a. C. numerati, et Olympiades quarum CCLXXXVIIII. annum 3. cum anno 2395 Abrahami comparavit, tetraëteridum Iulianarum bissextilium vices obeunt.

Summam eorum quae disputavimus, ita complectemur, ut praeceptum tradamus annorum Eusebianorum cum usitatioribus calculis recte componendorum. Normae loco ad quam tempora Eusebius direxit, ducendi sunt et anni Abrahami tam in Armeniaco, quam in Latino exemplo et Olympiades apud translatorem Armenium; nulla autem Olympiadum Hieronymianarum, nulla annorum regnorum neque apud Armenium neque apud Hieronymum habenda est ratio. Ut iam quinam annus a. C. anno Abrahami Eusebiano respondeat, inveniatur, in annis 1240—2016 annus propositus a numero 2017 subtrahendus est, ut quinam annus p. C., in annis 2017—2209 ab anno proposito numerus 2016 subtrahendus est. A fine imperii Per-

tinacis mutata aequandi ratione in annis 2210—2343 a proposito anno numerum 2018 subtrahamus necesse est, quo congruentem annum p. C. reperiamus. Eandem rationem veri simile est etiam ad antiquissimum Canonis spatium annorum 1—1239 pertinere ibique annum propositum a numero 2019 subtrahendum esse, ut annus a. C. conveniens inveniatur. Et hoc quidem praescriptum est. Plurima vero illa rerum gestarum argumenta quorum apud antiquiores historicos tempora genuinarum Olympiadum annis expressa invenerat, cum rescribere nollet, Eusebius chronographorum usus figmento per totum Canonem genuinas Olympiadas pseudolympiadibus suis pares esse iussit. Nusquam igitur ei rationi locus negandus est, ut ab Olympiadum annis in exemplo Armeniaco adscriptis tempus pendere dicatur: qui quomodo cum annis a. C. aut p. C. commutandi sint, quia tritissimum est, omittimus. Hoc ita quoque efferre licet, ut dicamus primitivam aequationem eo nonnunquam pacto restitui posse, ut ad inveniendos annos a. C. intra spatium annorum 1240—2015 ab anno qui est a solstitio 2016 ad solstitium 2015, annus propositus, ad inveniendos annos p. C. intra spatium annorum 2015—2343 annus qui est a solstitio 2015 ad solstitium 2014, ab anno proposito subtrahatur. Denique in continuatione Hieronymi ab annis 2343—2395 subtrahendo numero 2017 qui congruant, p. C. anni efficiuntur.